

viribus dæmoni possent resistere, dum ait: *Orate ut non intretis in tentationem.* Nam ut S. Bernardus, *Serm. xlix de modo bene vivendi*, ait: «Oratio frequens diaboli jacula submovet; oratio quotidiana diaboli tela exsuperat; oratio est prima virtus adversus tentationum incursus; oratio superat tentamenta inimicorum, vincit demones, superat immundos spiritus. Per orationem vincuntur demonia. Oratio dæmonibus omnibus prævalet.» S. Ambrosius, in sermone *de Barbaris non timendis*, qualia fidelium arma esse debeant, his verbis docet: «Arma autem hæc nostræ sunt, quibus nos Salvator instruit: oratio, misericordia atque jejunium. Jejunium melius quam murus tuetur. Misericordia facilius liberat quam rapina. Oratio longius vulnerat quam sagitta. Sagitta enim nonnis proxime conspectum percussit adversarium; oratio autem etiam longius positam vulnerat inimicum.» Equidem tametsi sanctus hic Doctor, hæc de inimicis scripsit visibilibus, eadem tamen etiam invisibilibus hostibus facile queunt adaptari.

**h.** — In oratione Apostolorum: *Domine, salva nos perimus*, elucet eorum charitas erga invicem, dum nullus pro se solo locutus est, sed pro omnibus quilibet; nullus enim dixit: *Salva me*, sed, *salva nos, perimus*. Quilibet enim in suo periculo necessitati studebat proximi subvenire, misericordia ac compassione eos ad hoc extimulante. Misericordia enim suam in charitate radicem positam habet, a qua compassio erga miserabiles derivatur, que quando ejus est possibilitas, Deo supra modum placet. S. Chrysologus, *Serm. xx*, ait: «Revera si fratres essemus, et humanum corpus, et eos qui pereunt, nostra esse viscera crederemus, afflictione jejunii, effusione lletum jugiter clamaremus: *Domine, salva nos, perimus.*»

S. Leo Magnus de Judicio extremo, ejusque examine, et processu disserens, ita scribit: «Quasi nec alias virtutes dexteri, nec alias offensiones habeant sinistri. Sed in illo magno summoque Judicio, tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, et pro summa omnium commissorum, et per unum bonum isti introducantur in regnum, et per unum malum illi mittantur in ignem æternum.» Ac demum doctrinam suam hac memorabili concludit sententia: «Nemo igitur, dilectissimi, de ullis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis.» Quibus verbis, operibus misericordie nomen charitatis attribuit, quia suam a dilectione erga Deum et proximos habent originem. Ad rem Carthusianus dicit: «Opera misericordie directe et evidenter includunt charitatem, virtutum regnam.»

## VERSUS 26.

*Et dicit eis Jesus: quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.*

## Quid timidi estis modicæ fidei.

**1.** — S. Paschasius, lib. V, in *Matth.*, se Auctorem quendam legisse scribit, qui persuasum sibi habebat, tempestatem hanc non a ventorum furia suscitatum in mari fuisse sed potius mare gestiens et exsilens ob receptum hospitem Creatorem suum exulasse et tripudiasse, veluti si conceptam exinde lætitiâ sufficienter in se capere non valeret: «Exiliens præ gaudio, sui adventum Creatoris vix ferre quivisset et hinc esse, non quod tempestas fuerit aurarum, sed lætitiæ motus.»

**2.** — Salmeron, tom. VI, in *lx*, dicit: «Suavis reprehensio est, que ex charitate fit.» Nimirum Salvator noster summa cum benignitate discipulos suos, de diffidentia et pusillanimitate sua, sicut et de modica fide reprehendit. Porro in lingua græca, dicit idem Auctor, *modicæ fidei* idem est, quod *modicæ confidentiæ*; unde Toletus, in *cap. vii Luc.*, dicit: «Secum habebant Salvatorem et periculum timebant? cum illis erat vita et de morte solliciti erant?» Quam tamen eandem considerationem S. Anselmus diu ante, his verbis fecerat: «Quasi dicat: vita vobiscum est et de morte solliciti estis?»

**3.** — Lucas Brugensis, *ibid.*, Christum eodem tempore quo Apostolos suos de nimia timiditate corripuit, veram quoque hujusce metus causam expressisse dicit: «Nempe ex fidei exiguitate quod non crederent se etiam a dormiente, si ipsum invocarent, exaudiendos et servandos esse, nimirum parum esse etiamsi dormiret humana infirmitas, ubi divinitas vigilaret.» Ut autem hinc hanc in ipsis tanto magis stabiliret, eos, ut S. Bonaventura, in *Luc.*, advertit, hunc in modum increpavit: «Ideo discipulos arguit de pusillanimitate, ut excitaret eos viso miraculo ad infirmitatem fidei;» maxime cum semper miracula patraturus, fidem in iis, quibus talia miracula impendebantur, præcedere voluerit, unde in similibus occasionibus dicere solitus erat: *Fiat tibi sicut credidisti; fiat tibi secundum fidem tuam.* Unde bene Chrysostomus, licet ad aliud propositum, ita dicit: «Nihil certe prodest, loco juxta Christum esse si fide non sit.» Petrus super mare ambulare tentans, in periculo submersiois erat, nec quicquam ei profuit Christo viciniam assistere; siquidem titubabat in fide: *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

**4.** — Hoc tempus erat Apostolos suos probandi, qui tamen metu nimio percellabantur, quod pariter in Passionis Christi tempore accidit, quando omnes relicto eo fugerunt. Tempus nimirum, quod per

Davidis, *Psal. lxxviii, 3*, prædixerat: *Veni in altitudinem maris et tempestas demersit me.* Verumtamen metus hic in eis mirandus non erat, siquidem plenitudinem Spiritus Sancti imbuti nondum fuerant. Chrysologus super hoc Evangelium, *Serm. xx*, ita scribit: «Gubernatoris peritiam non probat tempestas serena, sed procellosa tempestas: blande diente ora, navim regit ultimus nauta, in confusione ventorum primi queritur ars magistri.» In tribulationibus virtus probatur atque perficitur; in prosperitate siquidem nullam habemus patientiæ, conformitatis cum divinæ beneplacito voluntatis, humilitatis, confidentiæ, multarumque aliarum virtutum exerecandum occasionem.

**5.** — In hac reprehensione illius dicit Job., *xiii, 3*, veritas clare emicuit: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*; quia tametsi non magis procul a morte aberant, quam quantum illos subtile ligam ab undis dividebat, adeoque a tempestatis voragibus quasi essent absorpti, spem tamen et fiduciam in Christum nunquam amittere debebant. Unde S. Paulus optime monet, *Heb., x, 35*, dum ait: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, que magnam habet remunerationem; patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem; adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet et non tardabit.* Et vere in hac occasione ita accidit, siquidem:

## Tunc exurgens, imperavit ventis et mari.

**6.** — Evangelista nobis Salvatorem describit, veluti in pedes se erigentem: *Tunc surgens*, non quasi hoc ad patrandum miraculum necessario facere debuisset; siquidem unicus dumtaxat voluntatis actus sufficerebat, prouti Centurio in hoc eodem capitulo dixerat: *Dic tantum verbo*, sed potius in hoc facto promptitudinem et sollicitudinem, quam in subventionibus nostris exhibet, quando a nobis per preces invocatur, insinuare voluit. S. Stephanus ipsum in limine oculi in pedes erectum vidit: *Jesum stantem*, unde Petrus Damianus, *Serm. de S. Steph.*, ait: «Surgit ipse Rex; et lapidantium acies irrumpens, triumphatorio certamine assistit.»

**7.** — S. Thomas, in *Catech.*, testimonium adducit S. Hieronymi, dicentis, quod ex hoc facto clare liquet, quod omnes creature se erga unum Creatorem venerabundas et obsequiosas exhibent: «Quibus enim imperatur, sentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestatis Conditoris, que apud nos insensibilia sunt: *Dixit et stetit spiritus pro-celle.*»

**8.** — S. Marcus, in *19*, dicit: *Exurgens, comminatus est vento et dixit mari, tace et obmutesce.* S. Lucas scribit: *At ille surgens, increpavit ventum et tempestatem aquæ; id quod S. Bonaventura ponderans dicit: «In hoc ostendit se esse illum, qui fecit*

*mare. Circumdedi mare terminis meis et posui velle, et ostia, et dixi: Hucusque venies et non pro-cedes amplius.» Job., xxxviii, 10.*

**9.** — Auctor Operis Imperfecti, *Hom. xxii*, dicit ventos, mare et tempestates nulli alteri, præterquam Creatori suo, cum promptitudine parere non potuisse, id quod David quondam prædixerat, dum ait: *Viderant te aquæ Deus, viderunt te aquæ et timuerunt.* Conceperunt timorem, quia ut Toletus in supradictis duorum aliorum Evangelistarum verbis fundatus, observat: «Acriter et quasi comminandum imperat ut solet fieri cum his, quorum audaciam nimiam reprimere, volumus.» Porro Cajetanus, in *Matth.*, rationem reddit, cur Christus ad sedandum mare verbis uti voluerit, qui alias ad compescendum rebelle illud elementum per unicum voluntatis suæ actum sufficere potuisset: «Sensibili imperio usus est, ut cognoscerent presentes, quod solo imperio mutat creaturas.» Unde documentum quoddam morale elicit, quo nobis eam quam divinis vocibus, imo ipsiusmet Dei Creatoris, Redemptoris et Salvatoris nostri jussionibus exhibemus, شدتatem et inobedientiam graviter improperat dicens: «Non ad hoc increpabat elementa ut sentirent, sed ut homines presentes viderent, quod solo increpatione mutantur venti et mare.»

**10.** — Jansenius facilitatem observat, quacum mare subito tranquillum reddidit, non enim virgam, ut Moyses, super aquas extendit, nec liquidum illud elementum ingressus fuit, nec se ad orationem recepit, ut alias multi alii servi Dei in similibus urgentibus necessitatibus fecisse noscuntur, sed cum potestate imperabat, sicut Dominus servis et Creator creaturis. Enimvero ex hac actione imperiosa, qua mare antea turbatum, postea tranquillitati subite restituit, agnosci volebat a nobis, quis revera esset, siquidem in Scripturis Sacris hoc velut propriissimum Divinitatis signum esse declaratur, quod scilicet pro arbitrio undosum illud pelagus conturbare et iterum tranquillare valeat, juxta illud apud Isaiam, *li, 15*: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare et intumescunt fluctus ejus.* Et *Psalmo lxxiv, 8*: *Qui conturbas profundum maris, sonitum fluctuum ejus tu mitigas.*

**11.** — Similiter Basilius Seleucus, *Or. xxii*, ad facilitatem esse reflectit, qua Salvator noster maris procellos subito conturbavit et quieti sua restituit, dicitque: «Modica voce Jesus ingens elementum refrænabat, recognoscebat enim veterem vocem; recordabatur antiqui præcepti; congregentur aquæ in locum unum et appareat arida; tunc concessit terre imperium, nunc terram imitatur consolidatione nature, coercet undas, ventos cogit, tempestatem sedat.» In qua sententia notandum est illud, *modica voce*, id est, voce quadam exili, tenui et submissa totum conspexit oceanum; et tamen idemmet Deus per tot Prædica-



torum Evangelicorum, Sacrarum Scripturarum, librorum spiritualium, inspirationum infernarum, confessoriarum validas voces, imo per tot nobis severe et rigide comminata supplicia, cor nostrum tranquillare non valet. Unde S. Augustinus, in *Hom.* quadam, ait : « Imitare ventos et mare : mare audit » et tu surdus es? mare audit, et ventus cessat, et « tu sufflas? non eos vincat fluctus in perturbatione » cordis vestri. »

*Et facta est tranquillitas magna.*

**12.** — S. Thomas, in *Matth.*, stylum tempestuosi maris hunc esse dicit, quod procellis cessantibus, duo nihilominus dies intermedii requirantur, priusquam ad suam denuo tranquillitatem redire possit. Unde in hac occasione efficacia miraculi Christi colligitur, adducitque textum illum Ecclesiastici, xiii, 25 : *In sermone ejus sicut ventus et cogitatione sua placavit abyssum; et illum Tobiae, in, 22 : Post tempestatem tranquillum facis.* Similiter videtur exinde, quod verum sit quod *Dei perfecta sunt opera*; sed « quid mirum? » inquit S. Bonaventura, in *Luc.* « Quia Psalmista dicit : *Ignis, quando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus.* »

**13.** — Auctor imperfecti dicit, naviculam Ecclesiae fluctare quidem a tempestalibus, nunquam tamen submergi posse : « Quamvis infestatione « inimici Ecclesiae, vel saeculi tempestate laboret; « quibusvis tentationum fluctibus posetur, naufragium facere non potest, quia Filium Dei habet « gubernatorem. »

**14.** — Chrysologus hanc maris tranquillitatem a Christo procuratam, pacem significare dicit, quam Christus, post suam a mortuis resurrectionem, mundo contulit : « Suscitatus ergo a discipulis « Christus, mare, hoc est, mundum corripit, tranquillat orbem, reges mitigat, sedat fluctus, com- « ponit populos, Romanos efficit Christianos, ipsos « quae executores christianae fidei reddidit, qui « fuerunt persecutores. »

**15.** — Modum quem Christus mari praecipiendo tenuit, ex Evangelista retulimus; nam S. Lucas dicit : *Incepit ventum;* hi enim cauae sunt suscitatarum procellarum in mari, « sublata causa « removeret effectus; » ventos compescuit, et profligavit, et hoc modo facta est *tranquillitas magna.* Experimur nonnumquam in nobis, quod mare cordis nostri ab inordinatis passionibus et affectibus agitata, in nobis ferociter incipiat : *Impii quasi mare ferens, quod quiescere non potest et redundant fluctus ejus,* dicit Isaias, lvi, 29. Quod si nos ab hac tentatione et effreni concupiscentia liberos et quietos videre volumus, opus est dissipare ventos, qui omnis tempestatis nostrae causa existunt, id est, necessum est, ut pericula et occasiones tollantur e medio; caveas illam viam, ubi lubricitas timetur,

deinceps ingredi, seu ad illam fenestram ubi species visa concupiscentiam excitat, prospicere, cum hac vel illa persona, quae ad ruinam praecipitium parat, conversari, etc.

**16.** — Jansenius dicit : « Cum prius dictum sit : *a facta est procella magna venti;* nunc dicitur : *facta est tranquillitas magna;* nam pro modo afflictionis, solet esse consolationis modus. »

**17.** — S. Bonaventura in hac historia ad haec moralitates, in *Luc.*, descendit : « Tria hic sunt spiritaliter attendenda : animae conversio, quae denotatur in ascensu naviculae; secundum tentatio, quae denotatur in impetu procellae; tertium « animae consolatio, quae designatur in sedatione « tempestatis. »

**Additiones.**

**a.** — *Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens, etc.* Discipuli terrore conturbati dormientem excitant Christum : *Sabon nos, perimus,* quasi dicerent : Nostra exhausta est industria; manus ad opem ferendam comperturunt inutiles, artis imbecillitatem arguit vis tempestatis; ostende te vigilantem, et pelagus te reverebitur. Reconcilia quod nobiscum decertat mare : voce procellam extingue; de pace cum undis disserere; miserere discipulorum qui maris tyrannide premuntur. Quid tandem Dominus? Somno quicquid excessu, et per tam festinatam expurgandae ratione, nihil, ut assolent qui dormiunt, somnolose gerens, discipulos increpat. Sed audi asperam increpationem moralitatibus plenam, ex dulci Seleuciani Praesulis ore, *Orat. xxi :* « Quid, » inquit, « tam modicae fidei estis? Infidelitatis argumentum est timor. « Concessit fidem vestram commotum mare, et « illusa a fluctibus scapha, fide vos denudavit? « Maris fluctus ad animam usque insilivit. Cur enim « fide, ut manibus septi non estis? » Nempe ubi timor humanus prevalet, fides languet, quae de majori periculo vires sumit. Et non tam furiosa maris procella, quam fidei languor, naufragium discipulorum facit. Fiduciam potius concessi commotum mare, ut eam in Apostolis profundius firmet. Et ideo durius increpat; « vult enim « fidei vim, periculis atrocioribus esse majorem, et « ad fidei praesentiam, omnem ab anima desperatorem eliminari, » dicit idem praeclearus Doctor. Tentationes enim et tribulationes Deus nobis immitit, et permittit, ut nostram probet, exerceat, experiatur et perficiat virtutem.

S. Augustini, in *Psal. lx,* sententia et doctrina est, « ut profectus noster per tentationem nostram « sit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, « nec potest coronari, nisi vicierit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare, nisi inimicum et tentationem habuerit. » Hanc doctrinam S. Augustini allegat S. Laurentius Justinianus;

de hac discurrens materia, inquit : « Ipsa virtutes « perficit, vita etenim nostra non potest esse sine « peccato, nec sine tentatione, quia profectus nos- « ter per tentationem nostram fit. Non enim potest « absque tentatione homo ad perfectionem perve- « nire, nec sibi innotescit, nisi tentatus. » Quod Dominus Deus vehementer amaverit S. Paulum, id in dubium revocari non potest. Cur igitur permittebat ut continuo ejus adhereret lateri monstrum illud infernale, sordidum, tetrum insatiabile et implacabile, quod et ipsum etiam colaphizaret? Respondet per os Pauli S. Anselmus : « Datus est mihi « ad meam utilitatem ut me in humilitate custo- « diat. » Prosequitur deinde hic S. Archiepiscopus : « Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, « sed materia exerceandae virtutis. » Ignis tanto magis ardet, quanto magis ab impetoso agitur vento : ad eundem modum, eo magis proficit et crescit amor Dei et virtus, quo vehementiores sunt venti tentationum infernalium. « Virtus languet « nisi exerceatur; laessita autem crescit. » Haec verba sunt S. Laurentii Justiniani.

**b.** — *Tunc imperavit ventis et mari, etc.* Versio graeca, pro eo imperavit, legit, increpavit, seu objurgavit. Mira sane Christi actio, quae insensatas culpata creaturas, quas noverat omni sensu carere! Respondet pulchre Joannes de Sylveria hic : « Do- « minus imperat creaturis insensatis, non quod ille « percipiant Domini imperium, ac increpationem, « quod spectat ad creaturas sensu praeditas, sed ita « imperat ut ostendatur ipsarum creaturarum Deus, « et Auctor atque absolute Dominus, et ut ita praesentes homines potentiam ac majestatem Domini « viderent, agnoscerent, quantopere sibi displicere, « discordia, eamque exosa haberet. » Quandoquidem et in ipsis insensatis creaturis eam reprehendat, quae tamen qualemcumque inter se concordiam conservando, in bonum totius universi, ipsum hominem ad pacem sectandam extimulant.

S. Paulus Apostolus, *Hebr., xii, 14,* dicit : *Pacem sequimini cum omnibus et sanctionem sine qua nemo videt Deum.* Si discordes et inimici pacis, aliud a Deo non reportarent supplicium, quod nunquam visuri sint Deum, utique ab omni discordia et contentione, omni studio declinare deberent : siquidem nullam a divina justitia vindicativa imitari potest severius et horribilius supplicium, quam quod quis in sempiternum a beatifica Dei visione exulare cogatur. Verumtamen supplicium istud multa alia mala in hac vita praecedunt.

B. Laurentius Justin., de *Disciplina et Perfectione Monasticae conversationis*, XIII, postquam discordiam igitur a demonis sagittam esse dixisset, mox subdit : « Disrumpit pacem, rixas concitat, parit odium, « furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam « perdit, rationem confundit, oculum mentis obnu- « bilat, gratiae lumen repellit, fraternam dilectio-

« nem frangit, et ipsam caelestem in se occidit charitatem. »

M. Marulus, de pace disserens quoddam tangit motivum quod tametsi humanum sit, nihilominus hujus mundi homines horrore et metu percellere est idoneum. Ait enim : « Qui pungentes alteratio- « num oculos non caverit, praecipit agatur necesse « est, in perpetuam inquietudinem mentis pariter « et corporis. Mala quidem est luxuria, mala avaritia, mala ventris ingluvies, malum otium; sed « tamen unumquodque vitium sua blanditur voluptate; sola discordia nihil in se habet, quod « deleat. Gignit invidiam, concitat iram, pro- « rumpit ad convicia, non temperat manibus. Hinc « caedes, hinc exilium, domorum orbitas, urbis « excidia. »

Adeo displicet Deo et exosa est discordia ut in Evangelio ipsemet Dei Filius dicat : *Si offers manus tuam ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinquere ibi manus tuam ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.* Non dicit : *Si tu habes aliquid adversum fratrem tuum,* sed e contrario, quia non solum pacem in nobismetipsis vult entriri, verum etiam, ut quoad possibile est, illam in proximis nostris fovere satagemus, omnem e cordibus eorum tollendo rancorem.

Celebre est illud S. Apostoli ad Corinthios de pace scribens : *Si linguas hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens, etc.* Deo enim nullum placet opus bonum sine hoc charitatis, pacis et concordiae fraternae condimento. S. Bernardus, *Serm. xxi, de modo bene vivendi,* inquit : « Sex « sunt quae odit anima mea, dicit Dominus et « septimum quod detestatur, videlicet eum qui se- « minat discordiam inter fratres. Maledictus homo « qui inter servos Domini discordiae seminat. Qui « pacem et concordiam rumpit adversum Deum « facit, Christo facit injuriam quoniam inter servos « Dei seminat discordiam. Quare? quia Christus « est pax nostra qui fecit utraque unum. »

**c.** — Saevas has procellas, permisso Domini, ut diximus, excitavit diabolus, haud alio fine quam in extremam discipulorum Domini perniciem, ut sicut proper miram virtutem Job, eum in bonis animae suae laedere non potuit, eundem tamen in filiis et filiabus graviter lacerari, ita pariter Dominum in discipulis suis ulcisceretur et tentaret. Dominus vero hanc ipsam demonis malitiam, in apertam discipulorum convertit salutem, cum Christi potentiam agnoscentes, in fide solidantur, ut reverenter clamant : *Qualis est hic, qui venti et mare obediunt illi?* Quibus ex rebis conlitterari fuerant, docti evaserunt. Primo clamabant discipuli, metuentes sibi submersionem, et naufragium a mari, et ventis, a demone concitatis in ruinam suam; inde vero ab ipsis elementis, Christi virtute, ac potentia infor-



mauntur ut clament: *Qualis est hic?* O magna Dei sapientia! ut id ex quo homines sibi metuebant mortem, et quod paratum erat in eorum interitum, fiat eis schola virtutum, instrumentum fidei et doctrinae ut ipse etiam demonis tentationes, et tribulationes, profectui hominum utiles sint, odiumque demonis in bonum eorum ordinet.

Legimus in Blasio, de S. Gertruda: « Virgo Gertruda in spiritu aliquando clarissime cognovit quomodo Deus nunquam permittat, hominem pluribus vitis gravissimis impugnari, ut is postea de triumpho feliciter exulet, et majorem gloriam in caelo obtineat. Cognovit plerosque esse eximios castitatis et puritatis sectatores, quales fuerunt Apostoli Christi, qui suspecta quidem omnia fugiunt, sed ea, quae suspecta minime sunt rationabiliter admittunt. Et hi, si interea tentatione aliqua pulsantur, viriliter certando, adjuvante gratia Dei, ipsam tentationem devincunt. Si vero interdum ex humana fragilitate aliquantulum succumbant, student hoc dignis penitentiae fructibus delere. » Quot Sancti, ex odio, ex insidiis, ex assultibus, ex dolis, ex fraudibus spirituum infernalium tentantium, evaserunt vigilantiores et in divino servitio ferventiores, excitati fuerunt ad frequentiora orationem exercitia, ad iteranda jejunia, ad frequentanda sacramenta, ad solitudinem et similia, quibus tentatori resistunt.

Joseph ad regale evectus solium exprobravit fratris quod ipsi machinati fuerint mortem, et postea tanquam mancipium eum venderint: *Vos cogitastis de me molam, sed Deus vertit illud in bonum ut exaltaret me, sicut in presentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos.* Gen., I, 20. Tentationes quas Job, Tobias, S. Antonius, et innumeri alii sacri heroes sustinuerunt, quot et quantos in progressu saeculorum conservarunt, qui alias sine his exemplis succubissent, et demoni in praedam cessissent?

Verum est Deum posse impedire hostem infernalem, ne aggrediatur, infestetque sequaces suos, cum nunquam quorundam sequatur lapsus: attamen, ut bene notat D. Augustinus, « melius iudicavit Deus de malis bona facere quam mala nulla esse permittere. » Permisit David cadere in adulterium, homicidium et scandalum publicum, licet potuisset et novisset eum preservare, quia ex casu isto magnum intendebat elicere bonum, puta penitentiam, quam egit, qua et omnes instruxit penitentes.

Aliam doctrinam adhuc subministrat S. Augustinus, lib. XIV de Civit. Dei, xi, asserens: « Neque enim Deus omnipotens, cum summe bonus est, nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo. » Qui sacras legit

historias, plurimos ab infernali inimico tentatos reperiet turpiter cecidisse, quorum casus divina misericordia converti in majorem eorum perfectionem et virtutem, reducendo eos ad veram penitentiam, ardentiorque accendendo amore in servitio Dei. Consideratione quoque dignum est quod legimus in R. Laurentio Justiniano, *Inst. de Casto conub.*: « Procul dubio tentatio via est quae non solum hominem perficit, verum etiam divinae providentiae serpit. Quis sufficienter narrabit, ad quantum perfectionis culmen S. Job exerit tentatio? »

**d.** — Timentes naufragium discipuli clamaverunt ad Dominum: *Domine, salva nos, perimus;* et subito imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Sic quoque salutem animae nostrae, dubio non committamus eventui, sed laboremus, et clamemus, usque dum opem certam obtineamus.

Audite quae dicit D. Chrysostomus illis qui exemplo nonnullorum, qui in fine vitae suae penitentiam agentes, aeternam assecuti sunt salutem, permoti, penitentiam ad ultimos usque vitae suae annos differre staluunt, respondeat: « Sed multus, » inquit, *Hom. xi in I Cor.* « dedit Deus privilegium, » ut in ultima senectute confiterentur; quid igitur? « Numquid et tibi dabit? Fortasse dabit, » inquit. « Cur dicis fortasse? Contingit aliquando? Cogita quod de anima deliberas. Quid si spe et fiducia tua frustratus eris? Quam tunc dabit homo commutationem animae suae? » Huic semel amisse, nullum est pro recuperatione sperandum remedium; quamdiu vivimus, quamdiu vita haec nostra mortalis continuat, tempus quidem penitendi habemus; at vero eo terminato, summi quoque spes nostra terminum accipit. Unde Theophylactus, super illa verba: *Quam dabit homo commutationem, etc.*, scribit: « In futuro saeculo non poterit quis dare commutationem pro anima sua; hic quidem potest dare lachrymas, elemosynas et jejunia; illic autem non. »

#### VERSUS 27.

*Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediant ei?*

*Porro homines, etc.*

**1.** — Quinam illi homines fuerint, qui admirati fuisse dicuntur, non satis constat. S. Thomas, in *Math.*, cavendum esse putat, ne sub horum hominum numero Apostoli quoque recenseantur: « Quod dicit homines, non intelligatis Apostolos, quia nunquam Apostoli sic appellantur, sed intelligite nautas; » idem quoque S. Hieronymus, *ibid.*, scribit; Albertus Magnus vero, qui Doctoris Angelici magister fuit, turbas jam a Salvatore dimissas fuisse scribit, adeo ut tunc in navicula praeter Apostolos, nemo alius fuerit, at vero subjungit:

« Bene homines hic dicuntur, quia adhuc humana de Christo senserunt. *I Cor.*, iii, 4: *Nonne homines estis et secundum hominem ambulatis?* » Ac proinde idem S. Hieronymus subjungit: « Sin autem quis contentiosus voluerit eos, qui mirabantur, fuisse discipulos, respondebimus recte homines appellatos, quia necdum noverant potentiam Salvatoris. » Origenes nihilominus a Glossa citatus, homines illos, qui ob miraculum obstupuerunt, nequaquam Apostolos fuisse existimat. « Nusquam enim invenimus praeter honorem, cognominari Domini discipulos, sed semper aut Apostoli, aut discipuli nominantur. »

*Mirati sunt dicentes: qualis, etc.*

**2.** — Cardinalis Toletus, in *cap. viii, Luc.*, ait: « Homo homini imperare potest et saepe homo imperantis jussa non exequitur, at hic plusquam homo videtur, quia etiam imperat sensu carentibus et obediant ei. »

**3.** — Auctor Imperfecti per ventos, qui mare totaliter conturbant, spiritus infernales intelligit, qui etiam nutibus Christi vel inviti obediant: « Venti, nequitiae spirituales et immundi spiritus intelliguntur. » De quibus S. Jacobus Apostolus testimonium perhibet, dicens: *Demones credunt et contremiscunt.* Didacus Stella omnes creaturas, Deo obediens, adversam nos provocat et invitat, ut et nobis collum jugo subjectionis suae submitendum incurvent et inclinent: « Mirum valde est, omnes creaturas Deo tanta constantia obedire, praeter hominem, qui cum non ignoret omnia alia propter se facta, nihilominus tamen ingrato animo perfidoque, obtemperare Deo negligit. » Ob hanc eandem rebellionem Origenes quoque obstupuit, dum ad nostrum propositum, *Hom. vi ex div.*, ita scribit: « Jubeat omni creaturae et non supergredietur jussionem ejus; soli homines resistunt et ideo in judicio damnabuntur. »

**4.** — Idem Stella aliam hic observationem habet, nimirum quod Deus bonum et malo elicere sciat. « Non solum ex bonis nostris bona, sed etiam ex malis elicit; ex hac namque tempestate et afflictione discipulorum, hoc eximium eduxit bonum, et ut in ipso cognoscerent non solum in terra, verum etiam in mari potentiam. »

#### Additiones.

**a.** — *Porro homines mirati sunt dicentes, etc.* Non absque causa mirabantur homines. Valde enim mirandum est, quod omnes creaturae, etiam intellectus ac prudentiae expertes, Dei jussioni deserviant, idque in vicem gratitudinis. Solutamen ingratus homo, non obstantibus innumeris in se collatis beneficiis, ad ingratitudinem surdus persistat et contumax, sed in hoc inexcusabilis.

S. Ambrosius, *Sermo in cap. vii Job.*, nostram

considerans negligentiam qua nihil minus quam Dei beneficia, et pro illis debitam gratitudinem, nequidem pro tot alimentis quotidianis rependendam recogitamus, hanc nostram inexcusabilem oblivionem his verbis detestatur: « Gratias Deo agere quid sit, plerosque de vobis arbitrari ignorare, qui surgentes primo dilectum nominis de prandio cogitent; cum pransi fuerint, somno se tradant; nunquam divinitati gratias referentes, quae illis et prandium ad refectonem, et somnum dederit ad quietem. Utique tu, Christiane, si es utilis, meminisse debes cuius panem comedis, et ei laudem dicere. »

*Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui.* Israel autem me non cognovit, *Isa.*, I, 3. Deus his verbis in magnam Israelis confusionem, exemplum ei exprobrat bovis et asini, qui ambo dominis suis grati esse noscuntur, cum tamen Israel divinis praecipis suis rebellis recalcitravit. S. Thomas de Villanova, *Concione 1, de Nativitate*, inquit: « Quantum extreme hujus ingratitudinis ergo conqueritur Dominus, per Prophetam dicens: *Cognovit bos possessorem suum, Israel inquam, pro quo haec omnia pertuli, me caeteris omnibus adorantibus ignoravi, abiecit et vilipendit, cum insensibilia omnia in majorem ejus infamiam, venienti mihi in mundum reverentiam et obedientiam praeslerint.* » Quod si igitur Deus Judaismo suam improprietatim ingratitudinem, quanto magis eandem Christianismo obijcere poterit, utpote qui incomparabiliter majora beneficia recepit?

Quotiescumque sacri Interpretes de hoc vitio loquuntur, illo stylo illud perstringunt, veluti quod confusionem et infamiam conciliet eodem obnoxio. Protoparentes nostri confestim ut manum suam ad pomum extendunt vetulum, latibula quaesierunt, ut se absconderent. At vero quemadmodum hoc illos causa permovit? « Nimirum absconderunt se ex verecundia ingratitudinis, » inquit Abulensis, quia contra Deum beneficentem eis peccaverant; ingratus enim vultum suum videndum exhibere erubescit, ob ingratitudinis infamiam. Idem Villanovensis, in aliqua concione, *III in Dom. XVIII post Pentecost.*, ingratus hominem sequentibus verbis reprehendit: « Quid dicam tibi, o homo? Quid tibi, miserrime, dicam? Nonne de tanta ingratitudine et malitia erubescis? Pallium tuum diligis, » caligas tuas diligis, et Deum tuum non diligis? »

**b.** — Dubium est inter commentatores quinam sint hi homines, qui prodigi magnitudinem admirati sunt. Beda existimat esse aliquos qui eadem cum Christo navi velebantur. Maldonatus censet aliquos homines fuisse, qui in aliis navibus forebantur. Verum Hieronymus putat, qui *vers. 23, discipuli* dicuntur, nunc homines dici. Non tamen facile est diverse nomenclaturae causam assignare.



Cum auxilium a Christo exposcent, *discipuli* dicuntur, et cum admirantes prodigium stupent, *homines* nominantur. Num admiratio prodigii eos deposuit ab apostolatus fastigio? Quid admirationi inest, ut tunc *homines* appellerentur, qui nuper fuerant *discipuli* nuncupati? S. Chrysologus, *Serm. xx*, ingenio et eloquio argutus sic respondet: « Discipuli sunt hi qui accedunt ad Dominum, qui salvari se humilii supplicatione deprecant. Homines vero dicuntur, qui elementa Christo totaliter obedire mirantur. » Nempe cum in tribulationibus existentes, humillime ad Christum confugiunt, discipuli humiles dicuntur; at vero extra tribulationem positi, non jam humili vocabulo *discipuli*, sed quodam prestanti elogio, non vulgariter *homines*, sed aliquo sublimiori titulo, honoris causa, homines nuncupantur. O quam igitur utiles sunt tentationes quæ sic nos humiles conservant, et oculos aperiunt, ut nosmetipsos agnoscamus!

S. Antoninus de *Tentatione* scribit: « In multis docet et illustrat. Qui tentatus non est qualiter cognoscit? inquit Ecclesiasticus, xxxiv, 7, quasi dicat: Pauca. Et in figura dicitur, *Lib. Judic. III*: « *Hæc igitur gentes Chananzorum reliquit Deus, scilicet in Israel, ut ea toto non deleterentur, sed aliquando impugnantur, ut erudiret Israel in eis, a ut sciret artem pugnandi.* » Dum enim tentatio instigat ad malum, docetur homo quod ei magna operatur et superat, hoc non a se sed Dei virtute agere, cum experiatur sæpe in minimis quasi deficere, etiam si nolit. Unde Gregorius: Tentari permittit Deus, ut per tentationem homo concutitur, imbecillitate cognita fortius solidetur. Potest talis expertus alios docere et cautos redere; experientia enim est magistra. »

Pulchrum ad illustrandum hoc propositum affert similitudinem S. Augustinus in *Psal. civ.* « Et homo, » inquit, « et diabolus et quælibet demonia, non nisi accepta potestate nocent; sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt ut ignis feno. » Ab electis et timoratis, audite quæso, quale conferant emolumentum. « Bonis ita sunt ætquam ignis auro. Manducatus est Jonas ut fenum; probatus est Job ut aurum. » Didacus, in *Luc.*, iv, scribit: « Cum tentatio et bellum causa sit augmenti gratiæ, non est dubium, quin si Deus per impossibile posset, injuriam irrogaret utique justis, si tentationem illis adimeret, siquidem cum illa multum merentur. »

Nec minus prosunt quæcumque tribulationes. Compunctio interna plerumque, ut docet experientia, suum solet habere impulsu ab ærumnis, ab imminenti periculis, a tribulationibus vehementibus: *Imple facies eorum ignominia, dicit Psalmista, et quærent nomen tuum, Domine, Psal. lxxxii.* 17. Nabuchodonosor ad tantam elatus erat superbiam ut Deum se esse crederet, æstimaretque; at

quo medio usus est Deus, ut illum ad sui ipsius reduceret notitiam? Potuit cum Propheta Jeremia, xxxi, 18, dicere: *Castigasti me, Domine, et crudelis sum, quasi juvenens indonatus.* Jumenta, fere, cæteraque animalia sylvestria, quibuscum fere instar Nabuchodonosor vivebat, ipsum fecerant redire ad se, reverteruntque ad humilitatem, suiique agnitionem.

In praxi videmus, quod in magnis et extremis periculis, in publicis calamitatibus, dissolutissimi etiam homines oculos aperiunt, in se redeant, vitam male transactam detestentur et emendant.

Aliud tribulationis effectum adhuc considerat S. Bernardus, cum ait: « Anima justi per adversa illuminatur ad cognitionem mundi; ex forti namque nubium concessione coruscato in aere generatur, unde etiam in noctis tenebris circumstantia pericula subito singulariter hæc verba: « *Recognoscebat enim veterem vocem, »* cum mare insensata creatura agnovit vocem sui Creatoris, nec contra illius imperium audeat reluctare, sed obedientiam exhibens, se in tranquillitatem reducat; mirum est quod ingratus homo, non obstantibus innumeris beneficiis Dei in se collatis non amet Creatorem suum neque voci mandatorum ejus docilem se exhibeat.

**d.** — Auctor Operis Imperfecti, per ventos qui mare totaliter conturbantur, spiritus infernales intelligit, qui etiam nubibus Christi, vel inviti obediunt: « *Venti nequitiæ spirituales et immundi spiritus intelliguntur.* » De quibus S. Jacobus Apostolus testimonium perhibet, dicens: *Dæmones credunt, et contremiscunt.* Didacus Stella, in *Luc.*, omnes creaturas Deo obedientes adversum nos provocat et invitat, ut et nobis collum jugo subjectionis suæ submitendum incurrant et inclinent: « *Mirum valde est, omnes creaturas Deo tanta constantia obedire, præter hominem, qui cum non ignoret omnia alia propter se esse facta, nihilominus tamen ingrato animo perfidoque obtemperare Deo negligit.* »

Quantumvis Deus hominem creans, libero illum dotavit arbitrio, ut dicit Ecclesiasticus, xii, 14, nequaquam tamen eundem, utpote creaturam sibi subjectam ab obedientiæ sibi debite tributo eximere voluit. Ideoque Ecclesiasticus immediate subdit: *Adjecta mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te.*

Omnes creaturæ ab omnipotenti Creatoris manu cum tali sapientia et dispositione sum esse acceptæ perunt ut omnes exemplo suo nos obedientiam doceant. Quarum docilitatem et inter se subordinationem, S. Bruno ad confundendum religiosos contumaces, hæc verbis isdem exprobat: « *Quid dicent suas voluntates facientes, cum viderint non solum rationales creaturas, sicut Angeli et homines, verum etiam, quæ sensu carent, Domini obedire voluntati? Inde est enim, quod celi narrant gloriam Dei. Inde est quod venti et mare obediunt ei. Inde est quod terra nostra dedit fructum suum. Inde est quod omne lignum dedit fructum in tempore suo.* »

S. Anselmus ait: « *Cum homo vult aliquid, per propriam voluntatem, Deo aufert suam coronam, sicut enim corona soli regi competit, sic propria*

*voluntas soli Deo.* » Etenim vero ad hoc ut obedientiæ nos subternamus, etiam in illis quæ naturæ nostræ repugnant, Blossius hoc nos motivo extimulat: « *Beatus Augustinus ait: Potest homo aliquid proprium velle, Deo aliud volente. Conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humana infirmitati. Difficile est, ut non tibi contingat aliquid proprium velle, sed cogita Deum supra te esse, te infra illum; illum Creatorem, te creaturam; illum Dominum, te servum; et te corrigens, voluntatem tuam voluntati ejus subjiciens, dic cum Christo: Non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* » Sancta Gertrudis divinitus inspirata, legit aliquando trecentis sexaginta quinque vicibus hæc verba Evangelica: *Non mea, sed tua voluntas fiat,* amantissime Jesu! quod etiam sensit Domino plurimum placere.

## DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XIII, VERS. 24

24. Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.  
25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et super seminavit zizania in medio tritici.  
26. Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.  
27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo; unde ergo habet zizania?  
28. Et ait illis, inimicus homo hoc fecit; servi autem dixerunt ei: vis, imus, et colligemus ea?  
29. Et ait: Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis et triticum.  
30. Sinite utraque crescere, usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, et alligatæ ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

## VERSUS 24.

*Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.*

**1.** — Dubitari haud immerito potest, qua ratione regnum cælorum homini assimilari possit, cum de illo Spiritus Sanctus asserat, *Job.*, xxv, 6, quod homo patredo sit et filius hominis vernis, at vero si bene consideretur, quod Sapientia increata dicit, *Luc.*, xvii, 21, nimirum: *Regnum Dei intra vos est,* dicere cogemur, tantumdem valere animam quamdam christianam, quantum regnum Dei valeat. S. Basilus hominem glorioso hoc titulo honoravit, nimirum, quod sit *divinæ gloriæ pulcherrimum organum.* Advertendum igitur est, quod non dixerit solum: *Simile est regnum cælorum homini,* sed subjunxit, *homini, qui seminavit semen bonum,* siquidem

deum ut Apostolus asserit, *Galat.*, vi, 8: *Qui seminavit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Porro per semen bonum eleemosynam intelligere possumus; etenim in S. Luca, xii, 32, scribitur: *Complexit Patri vestro dare vobis regnum; quoniam vero merito regnum istud dare vellet, immediate subjungit, dicens: Vendite quæ possidetis et date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterescunt, thesaurum non deficietem in cælis.*

**2.** — Lucas Brugensis Christum, per hanc parabolam fideles præmunire voluisse dicit, ne, si post suum ex hoc mundo discessum, ex hac, quam in Ecclesia Dei ubique vident perversorum sui reproborum cum justis et electis, commixtione, scandalizarentur: et ideo sicut in alia parabola antecedente demonstrare volebat, quod semen verbi divini non æqualem in omnibus fructum facturum esset: « Ita in hac parabola præmonet, non esse expectandum